CONSTITUTIONES

ET DECRETA

EDITA

AB ILLUSTR. ET REVEREND. DOMINO

D. VINCENTIO MARIA TORRUSIO

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPO NOLANO

In Synodo Diœcesana celebrata in Cathedrali Ecclesia sub die xxxi. mensis Maji anni 1819.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

NEAPOLI
Ex Typographia Barnabæ Cons.

Superiorum permissu.

Digitized by Google

A Sua Eccellenza

Il segretario di stato

MINISTRO CANCELLIERE

Barnaba Cons pubblico Stampatore incaricato di pubblicare per le Stampe il Sinodo Diocesano celebrato dal Vescovo di Nola Monsignor Vincenzo Maria Torrusio sotto il dì 31. Maggio corrente anno 1819. approvato da Sua Maestà sotto il dì 7. Settembre detto anno. Prega V. E. di dargli il permesso per detta Stampa, e l' avrà etc.

Per disposizione dell' Eccellentissimo Ministro Presidente se ne commette l' esame al Signor Marchese di Castellentini Reggente della Seconda Camera.

Il Segretario Generale del Supremo Consiglio di Cancelleria.

Morelli.

Commesso al Regio Revisore
Canonico D. Francesco Rossi.

Eccellenza

Le Costituzioni, ed i Decreti del Sinodo Diocesano tenuto nello scorso anno dal Zelantissino Vescovo di Nola Monsignos Vincenzo Torrusio non riguardano altra cosa, che la verità della Cattolica Religione, la Santità del costume, ed il vigore della disciplina Ecclesiastica. Non ho scorto nelle suddette Constituzioni, e ne' surriferiti Decreti cosa veruna, che possa in menoma parte offendere gl' inviolabili dritti della Sovranità. Son di avviso che debbasi accordare il permesso di pubblicarsi colla stampa.

Il Regio Revisore
Canonico Francesco Rossi.

A sua Eccellenza

Il segretario di stato

MINISTRO CANCELLIERE

Napoli

Google

Napoli li 20. del 1820.

LA SECONDA CAMERA DEL SUPREMO CONSIGLIO DI CANCELLERIA.

Veduta la domanda di Barnaba Cons pubblico Stampatore incaricato di pubblicare per le Stampe il Sinodo Diocesano celebrato dal Vescovo di Nola Monsignor Vincenzo Maria Torrusio sotto il dì 31. Maggio corrente anno 1819., approvato da Sua Maestà sotto il dì 7. Settembre detto anno.

Veduto il parere del Regio Revisore Canonico D. Francesco Rossi; permette che la indicata Opera si stampi; ma ordina che non si pubblichi, se prima lo stesso Regio Revisore non attesti di aver nel confronto riconosciuta la impressione uniforme all' originale approvato.

Il Reggente della Seconda Camera
MARCHESE DI CASTELLENTINI.

IL DUCA DI CAMPOCHIARO.

In Segretario Generale
MORELLI.

L' Eccellentissimo Ministro Cancelliere Presidente, e gli altri Signori Consiglieri nel tempo della soscrizione impediti.

EDICTUM

PRO CONVOCATIONE SYNODI

VINCENTIUS MARIA TORRUSIO

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS NOLANUS

QUantum ad fideles in vera Religione instituendos, et in via salutis dirigendos conducant Diœcesanæ Synodi, in quibus, ut verbis utar Synodi Coloniensis anni 1549., *redintegratur unitas, studetur corpori in sua integritate conservando, ubi ea quæ in Visitatione non dabatur exequi, exequutionem studiis communibus assequuntur; ubi de capite, et membris, de fide, et pietate, de Religione, et cultu Divino, de moribus et disciplina, de obedientia, et rebus omnibus ad bene Christianeque vivendum necessariis*,

 tra-

tractatur atque statuitur, apprime noscentes, quo primum, qualibet sublata difficultate, datum est, Diœcesanam Synodum pro hac Nolana Diœcesi Nostro regimini in spiritualibus commissa Ecclesiasticis legibus obsequentes celebrare decrevimus.

Quapropter præsentium tenore indicimus Sacrum Conventum, ad quem convocamus cunctos de Capitulo Cathedrali, necnon de omnibus Collegiatis Nostræ Diœcesis; item omnes Parochos, et Ecclesiarum Rectores, Vicarios Foraneos, Beneficiatos, Deputatos a Clero uniuscujusque Parochiæ, et si alii sint, qui de jure, vel consuetudine Synodo interesse tenentur.

Dies Sacræ Congregationi præfixa erit trigesima prima currentis Maji immediata post Dominicam Pentecostes cum sequentibus, qui ad Synodum explendam necessarii videbuntur.

Omnes ergo superius convocati dicta die trigesima prima currentis mensis hora undecima de mane in Ecclesia Cathedrali, loco Synodo designato, congregentur sub pœnis a jure inflictis contra convocatos non accedentes.

Unus-

Unusquisque indumenta deferet Ecclesiastica suo gradui, et dignitati correspondentia.

Quilibet, cui nota sint correctione, vel reformatione digna, ad Nos, vel Vicarium nostrum, antequam Synodus congregetur, deferat, ut quod visum fuerit expediens in Synodo decernatur.

Interim a promulgatione presentium usque ad Synodi absolutionem in omnibus Ecclesiis Nostræ Diœcesis apponatur in singulis Missis Oratio de Spiritu Sancto. Laicos quoque Christifideles hortamur, ut suis precibus a Deo implorare non desinant, ut cuncta ad suam majorem gloriam, Ecclesiæ sanctius regimen, et animarum salutem conducentia peragere valeamus.

Edictum hoc Nostrum a Nobis subscriptum sigilloque Nostro munitum in januis tam Cathedralis Ecclesiæ, quam omnium Collegiatarum, et Parochialium Ecclesiarum, et in aliis, in quibus solet, locis, adfigatur, ut omnibus notum fiat, et nemo ignorantiæ prætextum valeat adlegare.

Datum Nolæ ex nostro Episcopio die octava mensis Maji 1819.

VINCENTIUS EPISCOPUS NOLANUS.

Officiales Synodi.

Secretarius Abbas D. Vincentius Caccavale Cantor Cathedralis Ecclesiæ.

Promotor Abbas D. Cajetanus de Nicola Archidiaconus Cathedralis Ecclesiæ.

Theologus Synodi Abbas D. Franciscus Martino Canonicus Theologus Cathedralis Ecclesiæ.

Notarius Synodi, et Magister Actorum Abbas D. Carmelus Mele Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

Magister Cœremoniarum Adm. Rev. D. Felix Trocchia Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Numerarius.

Designata die trigesima prima mensis Maji, congregatis cunctis ad Synodum convocatis, expletis omnibus præscriptis, nempe Processione, Missa, et aliis precibus, ut in Ponticali, cantato hymno *Veni Creator Spiritus*, ab Episcopo habita est ad congregatos sequens.

Al-

Alloquutio.

Quod optabam jam teneo, Fratres Dilectissimi, quod volebam jam habeo, Vos omnes simul hic coactos cernens, ut quæ saparatim unicuique vestrum, prout tulit occasio, pro excolenda vinea Domini Sabaoth in tot Ecclesiis amplissimæ hujus Nolanæ Diœcesis, usque modo præscripsi, Synodali Constitutione sancita, firma, atque stabilia reddantur, sicque una eademque Vineæ hujus cultura ubique immobiliter splendescere videatur. Super abundo gaudio in hac consolatione mea: lætanter exultat spiritus meus; nec immerito.

Equidem Pastorali Ministerio mancipatus Ego illud continuandum Divinum opus, ad quod Patercœlestis Filium Suum Unigenitum misit, mihi concreditum novi; et illa verba *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos* Apostolis dicta a Redemptore Nostro, cum illis hoc ipsum commisit Ministerium auribus meis resonare audivi.

Perspexi illico factum me esse coram Deo fidejussorem, patrem, et medicum animarum, de quarum non temporali ali-

quo bono agitur, sed de sempiterna felicitate, non de corporalibus medendis infirmitatibus, sed spiritualibus, quæ utpote prorsus interiores, ab ipsis infirmis sæpius ignorantur, difficillimæ proinde curationis; onus certe ipsis Angelicis humeris formidandum!

Ista semper ab oculos habui in omnibus, quæ Ministerium mihi concreditum expepetebat impleri; in quo si ullum immotum reliquerim lapidem testes sunt tot Encicliccæ pro temporum opportunitate, totq. in Sanctis Visitationibus decreta edita tum ut Fides Catholica, quam Nolana Gens ab ipso Principe Apostolorum B. Petro, ut fertur, acceptam innumerorum Martyrum sanguine purpuratam sartam tectamque a quolibet errore prorsus immunem semper servavit, magis, ac magis firmata, non mortua, sed operans ex moribus juxta Evangelii documenta compositis videretur; tum ut omnes per Verbi Dei prædicationem, et Christianæ Doctrinæ traditionem in lege Domini probe instituti Divinarum justificationum viam imperterrite inquirerent; tum ut Ecclesiarum Præpositi, omnisque Clerus verbo et exemplo ad Dei cultum, et legum obser-

van-

vantiam fovendam populo præirent. De his aliisque Pastoralis muneris partibus, quas explevi non Ego, sed gratia Dei mecum, testes estis et Vos Ministri Domini; testis purgata Religio in universa Diœcesi quoad omnia perbelle refulgens; testis nitor, ac decentia Ecclesiarum; testis Ecclesiastica vigens Disciplina.

Verumtamen etsi in his omnibus, favente Deo, quantum potui adlaboraverim; de quo Deo gratias agens non parum gaudebat cor meum, deerat tamen votis meis quod semper optavi, cuncto nimirum Clero simul in Domino coacto, omnia quæ bona, quæ utilia, quæ necessaria ad Dei gloriam, et animarum salutem vidissem, exponere, ut a sapientia, quæ in Consilio habitat, proposita libentius amplecterentur, et Synodali sanctione munita stabilia redderentur.

Illuxit tandem optata dies; et exinde plenum erit gaudium meum. In medio siquidem nostrum, qui in nomine Domini hic sumus congregati, certi sumus ex ipsius Domini nostri promissione, adesse Spititum Sanctum. Ipso autem adsistente, quis dubitare poterit quin omnia laude digna, et ad optatum finem conducentia

stabilire concedat ? Paratos interim esse Nos convenit ad omnia tanquam a Deo loquente amplexanda.

Seposito igitur humano quocumque affectu quoad ea quæ nostra sunt, de iis, quæ Dei sunt, solummodo solliciti, ipsum enixe adprecamur, ut mittat Nobis sedium suarum assistricem sapientiam, quæ nobiscum sit, et nobiscum laboret in his omnibus, ad quæ agenda hic in nomine suo congregati sumus.

In hoc ergo simus omnes: Id uno corde, et animi affectu apud Dei Clementiam incessanter expostulemus, fidentes, quod ipse per gratiam suam, et intercessionem B. Mariæ semper Virginis, et BB. Patronorum nostrorum Felicis, et Paulini quidquid ad sui gloriam optamus Nobis concedere dignabitur. Amen.

In Nomine Domini . Amen.

PARS PRIMA

Art. I.

Judices Synodales.

Ex Decreto Tridentini (*a*), in Synodo designandæ sunt ab Episcopo saltem quatuor qualificatæ personæ sedi Apostolicæ pandendæ, quibus a quolibet Legato, Nuntio, et ipsa Apostolica Sede committi possint causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, et ad forum Ecclesiasticum pertinentes; hinc in primis sequentes designantur.

Rev. Abbas D. Ambrosius Buonajuto Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Thesaurarius.

Rev. Abbas D. Agnellus Sodano U. J. D. Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

Rev. Abbas D. Carolus Ruoppoli Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

Rev. Abbas D. Alexander de Gennaro Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

Adm.

(a) *Sess. 25. cap. 10. de Ref.*

Adm. Rev. D. Carolus d'Alia Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Numerarius.

Adm. Rev. D. Nicolaus Vecchione Sacræ Teologiæ Magister.

Art. II.

Examinatores Synodales.

Idem Concilium Tridentinum quo cautius procederetur in conferendis Parochialibus Ecclesiis, nonnisi iis qui in examine seu experimento facto coram Episcopo, vel ejus Vicario, aliisque Examinatoribus *non paucioribus quam tribus* idonei inventi fuerint, præcepit ut in Synodo proponerentur ab Episcopo sex, vel plures *qui Synodo satisfacerent*, *et ab ea probarentur*, ex quibus solis tres elegi possent pro experimento faciendo concurrentium in Parochialium vacatione, hinc sequentes propositi sunt.

Rev. Abbas D. Thomas Vasta U. J. D. Cathedralis Ecclesiæ Decanus.

Rev. Abbas D. Vincentius Caccavale U. J. D. Cathedralis Ecclesiae Cantor.

Rev. Abbas D. Cajetanus de Nicola Ca-

theo-

thedralis Ecclesiæ Archidiaconus.

Rev. Abbas D. Pontianus Beltrano Cathedralis Ecclesiæ Pœnitentiarius.

Rev. Abbas D. Franciscus Martino U. J. D. Cathedralis Ecclesiæ Theologus.

Rev. Abbas D. Hieronymus Sanseverino Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

Adm. Rev. D. Paulinus Trocchia Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Numerarius.

Adm. Rev. D. Samuel Trocciola Parochus Ecclesiæ Nolanæ.

Adm. Rev. D. Cajetanus de Felice U.J.D. Insignis Collegiatæ Ecclesiæ summensis Præpositus.

Adm. Rev. D. Joannes Venezia Insignis Collegiatæ Lauri Primicerius.

Adm. Rev. D. Hieremias Gragnani U. J. D. Insignis Collegiatæ Abellarum Primicerius.

Adm. Rev. D. Joseph Mascia Insignis Collegiatæ Mariliani Canonicus Curatus.

Adm. Rev. D. Franciscus Pascale Insignis Collegiatæ Octajani Canonicus Curatus.

Adm. Rev. D. Joseph Ravelli Parochialis Ecclesiæ Castri Cicciani Archipresbyter.

Adm. Rev. D. Andreas Miranda insignis Collegiatæ S. Anastasiæ Canonicus Curatus.

Adm.

Adm. Rev. D. Cyprianus Rastelli Parochialis Ecclesiæ Cœmeterii Præpositus.

Adm. Rev. D. Joseph Falco Parochialis Eeclesiæ S. Erasmi Parochus.

Adm. Rev. D. Blasius Cassese Parochialis Ecclesiæ S.Michaelis Palmæ Parochus.

Adm. Rev. D. Æmilianus Ferraro Parochialis Ecclesiæ Carbonariæ Parochus.

Adm. Rev. D. Nicolaus Miele Parochialis Ecclesiæ S. Stephani Bajani Parochus.

Adm. Rev. D. Antonius Ferraro Vicarius Foraneus Palmæ.

Adm. Rev. D. Paschalis Toscano Parochialis Ecclesiæ Pumiliani Parochus.

Adm. Rev. D. Jacobus Terracciano ejusdem Ecclesiæ Pumiliani Parochus.

Adm. Rev. D. Laurentius Lanzaro Parochialis Ecclesiæ S. Pauli Parochus.

Adm. Rev. D. Pandolphus Ammirati Parochialis Ecclesiæ S. Januarii Parochus.

Adm. Rev. D. Aloysius Vincentius Cassitti S. Theol. Magister in Regia Neapolitana Universitate Professor.

Adm. Rev. P.F. Adeodatus la Rocca Sacræ Theologiæ Magister.

Adm. Rev. P.F. Samuele a Summa PP. Observantium S. Francisci Ex-Provincialis.

Adm.

Adm. Rev. P. F. Antonius a Palma PP. Reformatorum S. Francisci Definitor.

Adm. Rev. D. Petrus, Ignatius Marolda Congregationis Sanctissimi Redemptoris Consultor.

Adm. Rev. D. Cœlestinus Cocle Collegii Paganorum dictæ Congregationis Rector.

Adm. Rev. D. Aloysius Rispoli dicti Collegii Minister.

SYNODUS INTERROGATA:

Placent ne Vobis?

Responderunt omnes *Placent*, et electi juraverunt se munus suum fideliter exequuturos.

FOR-

Forma professionis fidei.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in Sybolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli, et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum. Et ex patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantiale patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit: Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui loquutus

est

est per Prophetas . Et unam Sanctam Catholicam , et Apostolicam Ecclesiam . Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum . Et expecto resurrectionem mortuorum . Et vitam venturi sæculi . Amen .

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes , et constitutiones firmissime admitto, et amplector . Item Sacram Scripturam juxta eum sensum , quem tenuit , et tenet Sancta Mater Ecclesia , cujus est judicare de vero sensu , et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto ; nec eam unquam , nisi juxta unanimem consensum Patrum , accipiam , et interpetrabor.

Profiteor quoque septem esse vere , et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo , Domino nostro , instituta , atque ad salutem humani generis , licet non omnia singulis , necessaria , scilicet Baptismum , Confirmationem , Eucharistiam , Pœnitentiam , Extremam unctionem , Ordinem , et Matrimonium ; illaque gratiam conferre , et ex his Baptismum , Confirmationem , et Ordinem , sine sacrilegio reiterari non posse . Receptos quoque, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supra-

prædictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto: omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse, vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter, et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sancto-

cto-

ctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera etiam omnia a Sacris Canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathamatizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam; usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo

spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo; voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

Art. III.

De Fide, et Fidei Professione.

Quoniam sine Fide, ut ait Apostolus (*a*), impossibile est placere Deo, nec nisi qui ex Fide vivit justus esse poterit, et vitam æternam consequi, hinc quisque noverit quanta maxima cura teneatur custodire, ac profiteri veritatum a Deo revelatarum fidem, quam semper vera Christi Ecclesia tenuit, quæque per Apostolos eorumque successores semper eadem ad nos usque pervenit.

Ab illa ergo ne datum quidem unquem discedat quicumque Deo placere, justum esse, et ad vitam æternam satagit pervenire.

Si quis contra quamcumque de Fidei veritatibus ex Verbo Dei sive scripto, sive tradito ab Ecclesia propositis aliquid pro-

(a) *Heb.* 11.

proferre non erubuerit; qui audiet illi in faciem, si ad id par est, resistat, et ad Nos referat, ut omni cum caritate ad rectum tramitem errantes revocare, et si quos debiles infecerit, illorum fidem consolidare curemus.

Quemcumque Fidei articulum coram hominibus, cum id exigit Dei gloria, et aliorum ædificatio quilibet non erubescat confiteri, secus eum Christus non confitebitur coram Patre suo.

Omnes autem quotquot Parochiali munere, vel Canonicatu tam in Cathedrali, quam in qualibet Collegiata Ecclesia nostræ Diœcesis aucti fuerint, coram Nobis, aut a Nobis Delegato saltem infra bimestre ex Decreto Tridentini (*a*), nec non quovis alio Beneficio Ecclesiastico insigniti, pro prima vice, qua Synodo Diœcesanæ interfuerint, ex eodem Tridentino (*b*), Fidei Professionem emittant, juxta formulam præscriptam in Constitutione 89. Pii IV. quæ supra posita est.

Ego N. firma fide credo etc.

Ad eamdem Fidei Professionem teneantur

(a) *Sess.* 24. *de Ref. c.* 12.
(a) *Sess.* 25. *de Ref. c.* 1.

tur omnes ludimagistri nostri Seminarii, et quotquot ad eamdem a jure adsciti illam nondum emiserint.

Omnes tandem fideles ut actum Fidei compræhendentem veritates de necessitate medii ad salutem explicite credendas, cæteras autem implicite, sæpius eliciant in Domino monemus.

Art. IV.

De Doctrina Christiana.

Ignorantia veritatum Fidei uberrima est scelerum scaturigo, ajente Osea *Non est scientia Dei in terra: Furtum, adulterium, homicidium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* cap. 4.

In hoc ergo toti sint quotquot curam animarum, vel adoloscentium educationem in se susceperunt, nimirum ut in Doctrina Christiana illos apprime instituant.

Parochi in singulis diebus festis, et quotidie in Quadragesima hora pomeridiana, quæ ipsis opportunior videbitur, præeunte Cruce Litanias cantando per propriæ Parociæ compita circumeundo suos Parochianos præsertim pueros, ac puellas colli-

ligant, et in Ecclesia in classes juxta ipsorum capacitatem divisas, coadjuvantibus Sacerdotibus ac Clericis, qui extant respectivis Parochialibus addicti, Doctrinam Christianam, tamquam præcipuum ipsorum munus, illos studeant edocere, utentes Catechismo Religionis, quem facillima metodo, ac ordinatissima pro nostra Diœcesi disponi, ac typis mandari curavimus; ut quemadmedum una est Fides, ita unus sit ordo, ac metodus qua edoceatur.

Parochi in hac obligatione deficientes post primam, et secundam monitionem pœnam subibunt assignationis Œconomi illorum expensis, Sacerdotes qui vocati; et de Parocho impedito certiores facti non accessere, suspensionem a Divinis; Clerici ab ordinationibus arcebuntur.

Ludimagistri, et cujusvis generis Præceptores semel saltem in hebdomada alumnos suos in Doctrina Christiana instituere non omittant.

Patresfamilias, qui filios, et Domini, qui famulos suos ignorantes rerum Fidei instruere neglexerint vel per se, vel per alios, utpote gravissimæ omissionis rei,

indigni erunt quibus Sacramenta ministrentur.

Doctrinam Christianam ignorantes a Parochis per examen cognoscendi ad munus Patrinorum non admittantur tam in Baptismo, quam in Confirmatione.

Art. V.

De Prædicatione Verbi Dei.

Verbi Dei prædicatio potissimum est medium stabiliendæ Fidei in cordibus hominum, ac illos avertendi a malo, et ad bonum trahendi, si fiat prout illam Jesus Christus Dominus Noster Apostolis commisit dicens: *Prædicate Evangelium*; *Et rursus*: *Vos estis lux Mundi*.

Evangelium itaque, et non sui ingenii excogitationes, vel aniles fabellas, quæ scurrilitatem sapiunt, vel inventas historias, aut miracula non certa, prædicare studeant Sacri Concionatores.

Sacras propterea Scripturas, et Patrum expositiones diu noctuque versent: et nisi in ipsis sint saltem sufficienter fundati ejusmodi sublime Ministerium non assumant, ne fideles vere salutari Verbi Dei pa-

pane defraudentur, et Concionatores inepti seipsos perdant.

Præter scientiam scripturarum, sic virtutibus præfulgeat ipsorum vita, ut nec Deus possit dicere: *Quare enarratis justitias meas? et assumitis testementum meum per os vestrum?* Nec populi illos spernant dicendo: *Curate vos ipsos. Ejicite primum trabem de oculis vestris.*

Nemo porro Ministerium hoc in qualibet Ecclesia nostræ Diœcesis, etiam Regularium, vel Oratoriis privatis, vel domibus, ne quidem in nocte Natalis Domini exercere præsumat, nisi prius facta illi a nobis, vel nobis absentibus, a Vicario nostro missione, quæ gratis dabitur.

Conciones numquam incipiant ante ortum Solem, nec excedant Solis occasum, excepto tempore Missionum.

Concionatores pro Monialibus a nobis deputati, clausis januis, illis annuncient Verbum Dei, et expleta Concione, statim discedant, quin quocumque prætextu ad crates accedant juxta Sacræ Congregationis decretum.

Art. VI.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

Ecclesiæ, seu manufacta templa domus sunt Orationis, ubi Altissimus peculiari modo cum hominibus habitare, ab ipsis coli, eorumque precibus auditum præbere dignatur.

Quantum ergo possibile est decentes teneantur tam fabricæ, quam Altaria, eorumque ornatus, et supellectilia pro Sacris functionibus necessaria.

Quælibet Ecclesia, Capella, Oratorium suum habeat Rectorem Sacerdotem a nobis scripto diplomate ad probandum semper gratis. Hoc destitutæ interdicto subjicientur.

A Rectore custodiantur claves suæ respectivæ Ecclesiæ, in qua nil nisi Sacrum peragi permittat.

Ecclesiæ atque publica Oratoria clausa teneantur ante auroram, et post solis occasum, ut præcepit Innocentius XI. quod servari quoque edicimus in horis pomeridianis æstivo tempore.

In atriis Ecclesiarum, scalis, aliisque locis immunibus nundinæ non fiant, nec ven-

venditores quarumcumque rerum inibi immorentur: imo quidquid fidelium devotionem, et sacras functiones potest perturbare exinde removeatur.

Arma nisi ex officio deferentes Ecclesiam non ingrediantur, sed omnes, ut exigit Domus Dei, decenter ac modeste, et feminæ operto capite inibi intersint.

Pauperes non permittatur intra Ecclesiam circumire eleemosynas petentes, sed ante vestibulum sistant.

De Ecclesiarum immunitate juxta novissima pacta conventa solliciti sint earum Rectores, et si quid ea in re in contrarium fuerit attentatum ad Nos referant.

Unusquisque Rector bonorum Ecclesiæ sibi commissæ tam mobilium, quam immobilium duplex conficiat inventarium, quorum unum penes se retineat, alterum ad nostram Curiam transmittat in Archivio conservandum, idque infra mensem ab hujus Synodi publicatione.

Digitized by Google

Art. VII.

De Reliquiis, Imaginibus, et Miraculis Sanctorum.

Sanctorum Reliquiis decens debetur veneratio; corpora enim ipsorum in pace sepulta sunt, ac nomine eorum in æternum vivunt; omnia quoque ipsorum ossa Deum custodire Scripturæ Sacræ (a) nos admonent.

In thecis decenter ornatis adserventur clausæ, et sigillo illius signatæ, qui illas adprobavit, nec nisi in Ecclesia, vel in Sacristia bene observatæ detineantur.

Cum publicæ venerationi exponuntur duo saltem ante ipsas cerei ardeant, nec attrectentur nisi a Sacerdote Cotta et Stola induto.

Qui illas vendere, aut surripere attentaverit, excommunicetur causa cognita.

Eidem excommunicationi subjaceat qui falsas reliquias, aut neque a nobis, neque a prædecessoribus nostris, neque ab alio legitimo Prælato approbatas, venerationi publicæ exponere veritus non fuerit præser-

(a) *Ps.* 33. *v.* 20.

sertim si turpis lucri gratia id fecerit.

Cujusque Ecclesiæ Rector inventario Curiæ exhibendo Catalogum inserat Reliquiarum.

Imagines Sanctorum, præsertim in Ecclesiis expositæ ejusmodi sint, ut devotionem excirent, et pietatem, nec retineantur nisi efformatæ habitu et forma, quam antiqua Ecclesiæ consuetudo comprobavit.

Imagines lasciviam redolentes, vel deformes, aut vetustate corrosæ e templis removeantur.

Si quis Sanctorum Reliquias, vel Imagines veneratus, aliquid ipsi contigerit quod naturæ vires excedere credatur, non publicetur tanquam miraculum, nisi ad nos relatum a nobis fuerit recognitum.

A R T. VIII.

De Sacris Processionibus.

Quantum publicæ supplicationes habeant roboris ut cœlesti gratiarum rore irrigemur, in ipso veteri Testamento testatum voluit Deus ipse cum jussit Israelitis qui tipus erant populi Christiani, ut per se-

septem dies Civitatem Hierico processionaliter circumirent; quo cum silentio ac reverenter peracto, illius mœnia corruerunt, et ipsi absque alio conflictu de illa triumphum duxerunt.

Fiant ergo Processiones: sed omni qua decet pietate, modestia, et humilitate Deum laudare, illi preces fundere et Sanctorum intercessiones implorare.

Ad libitum tamen non fiant, sed statis diebus ut hic adnotantur.

In hac nostra Civitate fiant in die festo Corporis Christi, S. Felicis, et S. Paulini, ad quas omnes de Clero tam sæculari, qnam Regulari convenire teneantur, ut et Confraternitates Laicorum in hac Civitate erectæ cum suis insignibus, prout usque modo consueverunt. Eodem pacto iis intersint in diebus Rogationum, et in Dominica Septuagesimæ, cum Sancta Cruciata publicatur. In die quoque S. Marci fiat Processio; ad quam solum omnes de Capitulo Cathedralis teneantur. Sed reliqui de Clero Diœcesis sæculari ad obedientiam nobis præstandam in dicto die in Cathedrali se sistant sub pœna suspensionis excepto solo casu veri, ac legiti-

mi

mi impedimenti Vicario nostro Generali patefaciendo.

In Parochialibus Diœcesis fiant in festo Corporis Christi, et præcipui Patroni, in diebus Rogationum, et recurrente publicatione S.Cruciatæ, semper autem de mane.

Præter has a nemine omittendas, si alias fieri occurret, a nobis licentia petatur, et in omnibus Parochus intersit, vel ejus Œconomus, cujus erit designare vias decentiores, per quas Processio incedat, nec nisi per proprii Oppidi fines.

Abusus omnes, ut volatus Angelorum, cunei armatorum, puellulæ circum Statuas, et similes scenicæ potius, quam piæ repræhesentationes omnino vetantur.

A r t. IX.

De Oratoriis privatis.

Quoniam infinitæ Majestatis Deus privatas etiam domos speciali præsentia sua, ut quondam Abrahæ tabernaculum, honorare non dedignatur, qui ex Apostolica facultate in domibus suis privatum Oratorium ambiunt erigere, de decentiori saltem loco ipsi præparando sint solliciti.

Ne-

Neque porro ad erigendum pergant nisi prius si Divinam quantum possibile est deceat Majestatem a nobis recognoscatur.

In Oratoriis privatis, nisi aliter contineat Indultum, unica tantum Missa eadem die, et quidem sine cantu, aut aliis solemnitatibus celebretur, secus Oratorium remaneat interdictum, et Sacerdos suspensus a Divinis.

In diebus festis qui dictæ Missæ intersunt non satisfaciunt præcepto nisi in Indulto comprehendantur.

Ex Decreto Sac. Rit. Congreg. in Oratoriis privatis prohibetur Missam celebrare in die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis Rerurrectionis, Pentecostes, Annunciationis, et Assumptionis B. M. Virginis, SS. Apostolorum Petri, et Pauli, ac Omnium Sanctorum. Ex vigore hujus Synodalis Decreti non liceat in dictis Oratoriis Missam celebrare in festo Circumcisionis, Ascensionis, Corporis Christi, Patriarchæ S. Joseph, S. Felicis præcipui Nolæ Patroni, ut et in festo Patroni principalis illius loci in quo Oratorium fuerit erectum, idque sub eadem pœna superius indicta, dummodo de speciali Indulto nobis exhibendo aliquis non fruatur.

PARS

PARS SECUNDA

§. I.

De Sacramentis.

QUoniam Redemptor Noster Christus Dominus Redemptionis suæ fructum voluit hominibus applicari mediis Sacramentis ab ipso institutis signis scilicet sensibilibus gratiæ invisibilis per illa collatæ, qua aut justi esse inciperent, aut justitia jam accepta augeretur, aut amissa repararetur, colligere exinde licet quantum intersit nosse iis bene uti; quantum scilicet interest Dominicæ Passionis ad æternam salutem consequendam participem fieri. Hinc sequentia mandamus.

Doctrinam Sacramentorum omni diligentia populum edocere curent Parochi, exponendo illorum essentiam, et effectus, nec non dispositiones, quæ ad illa rite suscipienda requiruntur.

Ritus, Cœremoniæ, Solemnitates in Rituali Romano pro Sacramentorum administratione præscriptæ adamussim obser-

ven-

ventur: ac omni, quam ipsa Sacramentorum sanctitas expostulat, decentia, gravitate, et animi puritate administrentur.

Curæ sit omnium Sacerdotum, præsertim Curatorum ne ipsorum oscitantia quis abscedat ex hac vita absque Sacramentorum subsidio.

§. II.

De Baptismo.

Baptismus parvulis plusquam ad secundum ab ortu diē non differatur, nec nisi in Ecclesia administretur, non item in privatis domibus, nisi necessitas urgeat ob periculum mortis, vel cum a nobis expetita et concessa fuerit licentia in scriptis.

Juxta Concilii Tridentini Decretum in Baptismo non adhibeantur plures patrini, sed unus, vel una, qui prius moneantur de cognatione spirituali quam contrahunt cum baptizato, et illius parentibus, nec non de obligationibus erga parvulum, si parentes defecerint.

Gentilium nomina parvulis baptizandis non imponantur, sed Sanctorum.

In-

Infantibus ob periculum mortis domi rite baptizatis cœremoniæ, ut in Rituali, in Ecclesia suppleantur.

Accurate edoceantur Obstetrices de modo rite conferendi Baptismum.

Collato Baptismo, statim adnotetur in libro Baptizatorum juxta formulam, ut in Rituali.

Ad auferendam omnem superstitionis occasionem candelæ, sal, sudoriola, et cœtera in Baptismi collatione adhibita ab Ecclesia non asportentur, et Fons baptismalis bene clausus custodiatur.

Fontis Baptismalis benedictio in solo Sabbato Sancto fiat, ut Costitutiones Pontificiæ præscribunt.

Nullus Parochus baptizet infantes alienæ Parochiæ, nisi aliqua gravi recurrente causa, et præmonito infantis Parocho, ut Parochianorum evitetur confusio.

§. III.

De Confirmatione.

Confirmationis Sacramento a Christo Domino instituto, ut Baptismate initiati fortiores evaderent ad Christianam Fidem

 pro-

propugnandam, spirituales hostes vincendos, et sanctiorem vitam ducendam, curent Parochi, ut nemo ex suis Parochianis sit destitutus, præsertim si ætatem duodecim annorum excesserit.

Necessitatem præcepti hujus Sacramenti, et effectus illis exponant, præsertim in festis præcedentibus diem pro Confirmationis Sacramento a nobis administrando in Edicto, quod ad id semper præmittimus, designatam.

Confirmandi in Fidei rudimentis sint saltem sufficienter instructi, de quo Parochi fidem facere teneantur.

Confirmandi, vel ipsorum parentes non eligant qui illos præsentent nisi bonæ famæ sint, et opinionis.

Masculi masculos, fæminæ fæminas, et semper unus, et una confirmandos præsentent.

Præsentantes præsentandorum ætatem excedant.

Parochi illos moneant de cognatione spirituali, quæ eodem pacto, ut in baptismo contrahitur.

Hinc illorum nomina, ut et parentum confirmati, patriam quoque in libro confirmatorum describant.

§.IV.

§. IV.

De Eucharistiæ Sacramento.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Tabernaculo clavibus obserato in Cathedrali, et in qualibet Parochiali Ecclesia diligentissime custodiatur.

Quo ad Altare, in quo collocandum, Vas, ornatum, decentiam, quæ in Rituali Romano, et in nostris Visitationibus sunt præscripta adamussim observentur.

Lampas ante ipsum noctu, diuque semper ardeat.

Sacerdotes nisi talari veste, superpelliceo, et Stola induti Eucharistiæ Sacramentum non administrent.

Rectores animarum, et Concionatores ad hoc Sacramentum frequenter, sed digne sumendum fideles hortari non desinant.

In Quindena Paschatis Resurrectionis ex præcepto Ecclesiæ unusquisque in sua Parochiali, aut in Cathedrali illud sumat.

Qui in hoc defecerint ad nos referantur.

Cum Christi corpus infirmis est adsportandum, quæ Rituale Rom. præscribit exacte observentur.

Solemnis Eucharistiæ Expositio nisi ex nostra licentia numquam fiat.

§. V.

De Sacrificio Missæ.

In Missæ Sacrificio Christus Dominus Noster, eamdem hostiam, semetipsum scilicet semel in ara Crucis pro nobis Deo Patri oblatum, Sacerdotum ministerio offerre pergit, sola oblationis ratione diversa.

Intelligant exinde Sacerdotes tali fruentes honore qua animi pietate, et cordis munditia ad Altare ejusmodi hostiam oblaturi, et talem principalem offerentem repræsentaturi accedere teneantur.

Missam celebrent cum ea gravitate, timore, ac tremore, qualis victimæ, quam offerunt, debetur. Cœremoniarum, ac lectionum præcipitantiam evitent; memores se lethalis peccati reos evasuros, si in tanto Sacrificio peragendo ne horæ quidem quadrantem ad minus insumant.

Contrarium facientibus Rectores Ecclesiarum in suis respectivis Ecclesiis celebrare non permittant.

Ut omnis turpis lucri, ac simoniæ suspi-

spicio vitetur, cujusvis generis mercedum conventiones, pacta, necnon importunæ, atque illiberales eleemosynarum exactiones pro Missarum celebratione prorsus eliminentur, juxta Concilii Tridentini Decretum (*a*).

Mercimonium quoque, seu detentio partis stipendii accepti pro Missæ celebratione, quæ alii celebranda committatur, sub gravi prohibitum recordentur Sacerdotes, ac etiam laici, isti ne excomunicationem, illi ne suspensionem Summo Pontifici reservatam incurrant.

Missa non celebretur neque in Ecclesiis, neque Oratoriis quidem privatis, nisi prius remoto quolibet strepitu, et vaniloquio, qui intersunt decenter compositi se mente, ac devoto cordis affectu, non corpore tantum adesse monstraverint.

Extra tempus, quod ab aurora ad meridiem percurrit, nemo celebret, nisi Apostolicæ Sedis privilegio fulciatur.

Cum coturnis, aut sine veste talari, et absque collari nemo ad celebrandum accedat.

Nemini vago, ac ignoto Missam celebrare permittatur, nisi literis sui Ordinarii

 ex-

(a) *Sess.* 22.

exhibitis et a nobis approbatis, celebrandi licentia fuerit concessa.

A sola victima, quæ offertur, non item aliunde, quod ut plurimum superstitionem redolet, ut a numero candelarum, a particulari liturgia etc. fructum hujus Sacrificii expectandum plebanos suos edoceant Parochi.

§. VI.

De Pœnitentiæ Sacramento.

Sacramentum Pœnitentiæ unicum est quod post Baptismum excisis per peccatum a gratia Dei superest remedium, quo suæ saluti possint prospicere.

In illo ergo sibi adplicando ne tardus sit quicumque peccando animæ suæ mortem conscivit, in Domino monemus; peccatum enim quod statim pœnitentia non deletur, pondere suo ad aliud trahit.

Quoniam autem nisi ut oportet ejusmodi remedium applicetur, gratiæ vita haud obtinebitur, in edocendo Christifideles quomodo utendum sit Sacramento Pœnitentiæ ut prosit iis qui peccaverint, Pa-

rochi, et Concionatores numquam dicant satis.

Sacramentum hoc non administrent nisi qui beneficio cui cura animarum sit adnexa aucti sunt, et qui per examen adprobati a nobis excipiendi Confessiones facultatem obtinuerint.

Excipiatur casus periculi imminentis mortis, in quo, quolibet alio absente Confessario, quivis etiam simplex Sacerdos omnibus pollet facultatibus, etiam quoad casus quomodolibet reservatos.

Monendi semper confessi in periculo mortis si Censura aliqua irrititi inveniantur, ut si convaluerint, Superiori se sistant sub pœna reincidentiæ.

Confessarii, etiam Parochi ad mulieres infirmas accersiti, non nisi apertis januis, ut ab omnibus possint videri, illarum Confessiones excipiant.

In sedibus quoque Confessionalibus, quæ in Ecclesiis sint collocatæ ubi ab omnibus non possint videri, non sedeant Confessarii ad mulierum Confessiones excipiendas sub pœna immediatæ suspensionis ab excipiendis Confessionibus.

Caveant Confessarii ne a sibi confitentibus aliquid intuitu Confessionis accipiant,

aut juvenculas quodlibet posthabito prætextu suas domos ingredi patiantur, aut impediant alios adire Confessarios; quin imo illas saltem bis in anno ad id adstringant, et obstinate renuentes amplius non audiant.

In diebus festis mulierum Confessiones non excipiantur nisi prius viris exomologesim facere petentibus factum fuerit satis.

Quotquot ad annos discretionis perventi qui ne in Paschate quidem Confessionis annuæ præcepto satisfecerint ad nos referantur.

Nemo audeat, nisi facta a nobis facultate, aliquem absolvere a Casibus a nobis reservatis, qui sunt sequentes.

CASUS RESERVATI.

Absque Excommunicatione.

I. BLasphemantes Deum, vel B. Virginem ex prava consuetudine.

II. Homicidium voluntarium ejusque consilium, mandatum, et veneni propinatio effectu licet non secuto, sive etiam procurantes abortum post foetum animatum, etiam absque effectu.

III. Sodomia, et cum Brutis coitus.

IV. Incestus in primo, vel in secundo gradu consanguinitatis, aut affinitatis, vel cognationis spiritualis.

V. Stuprantes virginem, aut viduam vi, vel metu, vel ficta matrimonii promissione.

VI. Medici, qui visitantes in lecto infirmos post tres dies visitatione non curaverint, ut prædicti infirmi peccata sua idonea Confessario confiteantur secundum Constitutiones S. Pii V., et Innoc. XI.

VII. Incisores arborum fructiferarum, et incendiarii, ad idque consilium, vel auxilium scienter tribuentes.

VIII. Parentes, aliique, qui filios cœte-

rosque suæ curæ commissos neque per se, neque per alios instruant in fidei rudimentis, nec satagunt ut ad Christianam Doctrinam addiscendam diebus saltem festis in Ecclesiam conveniant.

Si cui in posterum a nobis concedetur facultas absolvendi generatim ab omnibus Censuris, et Casibus a nobis reservatis, volumus, et declaramus ei specialem facultatem absolvendi a primo, tertio, et quinto, numquam intelligi concessam nisi expressa de his mentio fiat. Qui vero Confessarius sive Sæcularis, sive Regularis attentaverit extra mortis articulum absolvere ab aliquo ex his Casibus, et Censuris reservatis, amplius non audeat suscipere fidelium Confessiones, nisi novam a nobis obtinuerit facultatem.

CASUS RESERVATI.

Quibus adnexa est Excommunicatio.

I. OMnes utriusque sexus cœtus adeuntes in quibus sive contra Religionem, sive contra actualem Statum disseritur. Præterea qui conjurationes sive parant, sive meditantur, ac seditiosas opiniones disseminant.

II. Magias, veneficia, maleficia, sortilegia, divinationes, et cujuscumque superstitionis opera scienter perpretantes.

III. Falsum cum præjudicio tertii deponentes falsis testibus vel instrumentis vel scripturis falsis in alicujus damnum utentes. Item falsificantes apocas syngraphas, vulgo Fede di credito, e notate in ſede. Judices, Actuarii, Notarii, Scribæ non sinceram dolo capientes informationem, vel non integra testium dicta describentes.

IV. Sponsi, et Sponsæ post contracta sponsalia, et ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes nec non parentes, consanguinei, et affines omnes, ac singuli eamdem carnalem copulam, vel Sponsorum

co-

cohabitationem , et pernoctationem permittentes.

V. Colloquentes præsertim de rebus obscenis, cum Monialibus, Educandis, vel Conversis in Monasteriis degentibus, sive literas de rebus turpibus mittentes; nec non viri, et mulieres, qui ejusmodi literas, vel mandata detulerint.

VI. Constituentes, aut consulentes Ordinandorum patrimonia falsa, ficta, fiduciaria, aut quovis modo fraudolenta, etiam ad primam Tonsuram præsentanda, aut in his quomodolibet concurrentes, sive cooperantes.

VII. Publici Concubinarii.

VIII. Confessarii omnes etiam Parochi ad inhonesta, personam quamlibet ex sibi confitentibus quovis tempore sollicitantes, vel inducentes quomodolibet.

IX. Deferentes arma per Regias Pragmaticas prohibita Clerici, vel in minoribus, vel in Sacris Ordinibus constituti; aut ludentes Aleis, et taxillis in plateis, aliisve locis publicis.

§. VII.

§. VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Ad roborandos contra Diaboli insidias in extrema agone infirmos, ad ipsorum peccata si quæ supersint expianda, et peccatorum reliquias abstergendas, ad morbi incommoda facilius sustinenda, et ubi saluti animæ expediat sanitatem quoque corporis reddendam Sacramentum Extremæ Unctionis instituit Jesus Christus Dominus noster.

Caveant Parochi ne ipsorum incuria quisquam hoc Sacramento haud suffultus decedens tantis bonis privetur.

Graviter ægrotantes, præmissis Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramentis, Sancto Oleo linire non negligant, et quantum possibile est, dum adhuc in sana mente persistunt. Quoad sensibus destitutos observent quæ in Rituuli Romano præscribuntur.

Parochi in hoc ipsorum munere negligentes pœnis in Sacris Canonibus præscriptis plectentur.

Sanctum Oleum infirmorum decenti loco prope Altare majus a cornu Evangelii cu-

custodiatur, clavisque sub Parochi custodia perpetuo detineatur.

Omni quoque decentia ad infirmos liniendos cum duobus saltem luminibus accensis deferatur. Vasculum sit argenteum, bursa serica violacii coloris. Gossipium, cum quo partes corporis linitæ abstersæ sunt, in domo infirmi non relinquatur, sed in Ecclesia comburatur.

In extremis laborantes Parochi non deserant, sed vel per se, vel per alios piis orationibus, frequentibusque exhortationibus illis adjuvare non cessent.

§. VIII.

De Sacramento Ordinis.

Qui Altaris Ministerio se ambiunt mancipari non debere sibi ejusmodi sumere honorem, nisi a Deo tamquam Aaron fuerint vocati præscripsit Apostolus. Cumque Christifidelibus exemplo, et verbo præire teneantur, singulari pietate, ac doctrina ad eorum munus necessaria oportet esse repletos.

Qui ergo clericali militiæ per Tonsuram nomen dare exoptat, expleto triennali tyro-

ro-

ronicii tempore, quo ex nostra licentia habituro detulit Clericalem, a pio ac docto Sacerdote præsertim Exercitiorum Spiritualium tempore suam faciat examinare vocationem, de qua si fuerit adprobata fidem exhibere tenebitur quando Tonsuram Clericalem expostulabit.

De pietate, pro iis, qui cum nostra licentia extra Seminarium alicujus Ecclesiæ servitio sunt addicti, fidem juratam facient Parochi prout illos viderint Sacris functionibus interesse, Sacramenta frequentare, honeste vivere juxta illa, quæ ad tirones possunt spectare præscripta in art. de vita, et honestate Clericorum, quæ habentur in tertia parte hujus Synodi. Pro iis qui in Seminario nostro instituuntur, hanc fidem faciet Seminarii Rector.

Eædem duæ fides pro vocatione et pietate requisitæ pro Tonsura, renovandæ sunt pro Subdiaconatu.

De Scientia quoque ipsis necessaria solliciti sint qui Ecclesiæ cupiunt deservire, de qua specimen coram a nobis electis Examinatoribus dare tenentur, juxta album scientiarum pro unoquoque Ordine suscipiendo a nobis editum.

Ti-

Titulum denique habeant sive beneficialem, sive patrimonialem juxta pacta inter Romanum Pontificem Pium VII., et Regem nostrum Ferdinandum Primum, quos Deus sospitet; ultimo conventa.

Supradicta requisita exhibeantur simul cum supplici libello, quo ordinari expostulant.

§. IX.

De Matrimonio.

Matrimonium ad rationem Sacramenti a Christo Domino nostro evectum, ab Apostolo Paulo Magnum Sacramentum appellatum ob conjunctionem quam significat Christi, et Ecclesiæ, cum omni sanctitate, et secundum Sacras Constitutiones cordis fit Parochis ut celebretur.

Satis ipsis non sit in publicis Instructionibus exposuisse populo hujus Sacramenti sanctitatem, et conjugum obligationes; sed eadem iis, qui de matrimonio contrahendo *per verba de futuro* coram ipsis acturi se sistunt, privatim repetere non detrectent.

Decretum Tridentini de tribus Procla-

ma-

mationibus exacte observetur, nisi legitimam ob causam a nobis aliquam ex illis omitti concedatur.

In qualibet Proclamatione moneatur populus de obligatione denunciandi si aliquod Canonicum impedimentum ipsi sit cognitum.

Ut impedimentum affinitatis ex copula illicita, si adsit, opportuno tempore detegi possit, antequam procedatur ad Proclamationes, moneantur sponsi, ut suam faciant Confessionem Sacramentalem cui voluerint Confessario; hujus enim erit si aliquid detegerit, illis consulere quod expedire videbit, vel ut a matrimonio invalide contrahendo aliquo prætextu desistant, vel ut necessaria dispensatio Apostolica obtineatur.

Ut quantum possibile est cautius agatur, ne matrimonia invalide contrahantur, præter tres Proclamationes a Parocho faciendas; ut constet de statu libero sponsorum, examinentur a respectivis Vicariis Foraneis saltem duo Testes bonæ famæ, et opinionis, quibus cogniti sint sponsi, juxta instructionem pro examine Testium in matrimoniis contrahendis editam in Sacra Congregatione generali Testium depo-

sitiones juratæ una cum fide Parochi de factis Proclamationibus, et in quibus diebus, quin aliquid in contrarium fuerit denunciatum, Vicario nostro Generali exhibeantur, a quo discussis, si de sponsorum libero statu rite constare perspexerit, Parocho sponsos matrimonio conjugere permittet.

Si factis publicationibus matrimonium non contrahatur, elapsis duobus mensibus, erunt repetendæ.

Matrimonia in Ecclesia Parochiali contrahantur, et non ante Solis ortum, nec post ejus occasum.

Matrimonia contracta describantur in libro matrimoniorum juxta formulam in Rituali Romano præscriptam.

Non ultimæ necessitatis est sponsos callere saltem sufficienter Doctrinam Christianam tam pro sui salute, quam pro prole, quam suscepturi sunt, sancte educanda. Illam ignorantes matrimonio non conjungant Parochi, nisi prius saltem absolute necessaria ad salutem didicerint. Parochi qui id neglexerint Divinam non effugient indignationem, et nostram Pastoralem sollicitudinem.

Moneantur conjuges ne secum in eodem le-

lecto parvulos teneant uno anno minores, et quinto majores; primos ne in somno opprimant, secundos ne ab ipsis scandalum patiantur.

PARS TERTIA

Art. I.

De vita, et honestate Clericorum.

CUncti, qui Christiana professione censentur, sancte vivere, et morum honestate præfulgere tenentur; ad hoc enim Deus elegit nos in Christo ut essemus Sancti, et immaculati, ajebat Apostolus: ad hoc quoque apparuit gratia Salvatoris nostri erudiens nos ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria sobrie; juste, et pie in hoc sæculo viveremus. Viam, qua illuc perveniretur, ostendit ipse Dominus noster Jesus Christus prius exemplo, postmodum verbo, cœpit enim facere, et docere. In idipsum vires omnes suas intendere præcepit iis, quos migraturus in Cœlum sui Sacerdotii reliquit successores, quos lucem Mundi esse voluit, quæ non sub modio sed super candelabro posita, cunctis viam sanctitatis monstraret, et honestatis, idque, sicut ipse, exemplo simul et Verbo.

I.

I. Satagant ergo quotquot in sortem Domini vocati, et ex hominibus assumpti, pro hominibus sunt constituti ita vitam suam, moresque componere, ut non solum qui ex adverso sunt vertantur, nihil habentes mali dicere de ipsis, verum etiam (quod jampridem præscripserunt Sess. 22. cap. 1. de Reformatione Tridentini Patres inhærentes jam alias hac super re sancitis a Summis Pontificibus, et Conciliis) ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præferentes, cunctis quotquot in ipsos oculos conjicient, sint tamquam speculum, in quo videant quod imitentur, et ipsorum exemplo ad pietatem, et Dei cultum assidue instruantur.

II. Cum habitus ejusmodi non est ut fert propria cujusque conditio ac status, in dubium præbet argumentum animi mundanis adfectionibus irretiti. Abjecta propterea omni mundana vanitate, quilibet de nostro Clero modestiam suam in primis notam facere curet in habitu Ordini, et suæ Clericali dignitati congruente. Telaris sit vulgo sottana, cum in Ecclesiam convenire oportet sive pro Missa celebran-

da, sive pro Sacramentorum administratione, sive pro qualibet alia sacra functione superpelliceo, vel aliis sacris vestibus peragenda. Collare quoque deferat, et convenientem Coronam, sive Tonsuram; secus a respectivis Rectoribus ab Ecclesia arceatur. Qua de re sanctionem Clementis V. in Constitutione incipiente *Quoniam* in Concilio Viennensi editam innovamus juxta Concilii Tridentini Decretum (*a*).

III. Vestibus autem contractioribus nigri, vel suboscuri coloris, quæ saltem ad genua pertingant, liceat uti extra tempus sacrarum functionem, vel cum iter est agendum etiamsi recreationis causa extra domum sit curandum, et numquam sine Collari.

IV. In loca publica, ac etiam secreta, ubi ludis, vel quibuscumque scenicis repræsentationibus detur opera, intrare non audeant Clerici quocumque in Ordine constituti. Tabernas, et hospitia nisi urgente necessitate iter facientes, numquam alias ingrediantur. Mulierum contubernia, et conversationes effugiant. Post moderatum ac proprio statui conveniens solamen, ex-

(a) *Sess.* 24. *de Ref. cap. VI.*

expletis sui ministerii muneribus, quod superest tempus in lectione Sacrarum Scripturarum, Patrum, vel piorum librorum insumant. A negotiatione, et mercimoniis cujuscumque generis, ut Conciliorum Canones præscribunt, quemadmodum a servitio in temporalibus laicis præstando se abstineant.

V. Ancillas, nisi ejusmodi sint provectæ ætatis, ut de ipsis nulla suboriri possit suspicio, nemo sibi licitum præsumat retinere.

VI. Functiones Ecclesiasticas omni cum pietate peragant, ut omnibus afferant venerationem.

VII. In diebus festis simplices Sacerdotes, qui nullo alio Ecclesiastico exercitio ex sui officio sunt addicti iis interesse curent, quæ a Rectoribus respectivarum Ecclesiarum in dictis diebus ad Dei cultum, populi instructionem, ac pietatem fovendam exercentur. Rectores ipsos adjuvent in edocendo Fidei rudimenta illos qui ea ignorant.

VIII. Sacerdotes omnes, et etiam in Sacris constituti collationibus casuum Conscientiæ intersint. Recurrente legitimo ve-

ro impedimento palam fiat respectivæ Congregationis Præfecto.

Art. II.

De Capitulo Cathedrali, et Collegiatis.

CAnonici Cathedralis Senatus sunt Episcopi, cui opera, et suffragiis in Diœcesis regimine opitulari tenentur. Jure merito propterea decrevit Tridentina Synodus (a), ut ad id muneris assumendi non solum natalibus, ætate, moribus, vita, aliisque a Sacris Canonibus requisitis plene præditi esse deberent, sed præcipue ejusmodi scientia pollerent, ut muneri sibi injungendo possent satisfacere, ideoque antea in Universitate Studiorum Magistri, sive Doctores, aut in Sacra Theologia licentiati, vel Jure Canonico merito promoti, aut publico alicujus Academiæ testimonio ad alios docendos idonei ostenderentur.

I. Ejusmodi Decreto obsequentes, quoniam rari in nostro Clero aliqua ex dictis laureis insigniti inveniuntur, huic defectui

quo

(a) *Sess.* 22. *cap.* 2. *de Ref.*

quo modo possibile est providere cupientes, nemo in posterum ad Canonicatum Cathedralis assumetur nisi post probata a Canonibus requisita, et aliquod scientiarum Sacrarum specimen datum, nec non si facultate audiendi Confessiones nondum fuerit munitus.

II. Numerarius nemo fiet nisi Confessarius, et in cantu Gregoriano quantum Chori servitium exigit, versatus. Parochi præ cæteris in consideratione erunt, ut et qui in instituenda juventute sedulam præstaverint operam per septem saltem annos in nostro Seminario.

III. Eadem regula observabitur pro Collegiatis, et ubi Canonici sunt Curati, vel Parochorum Coadjutores, examen in scriptis subire debebunt.

IV. Satagant Canonici sancte ac fideliter munus suum explere. Ad Chorum omni cum gravitate, modestia, æquitate accedant; et incœptis officiis, a Choro non exeant, nisi ob causam vere urgentem, petita prius a punctatore licentia. Confabulantes in Choro punctentur tamquam absentes punctationi subjaceat qui, expleto primo Psalmo sive in Matutinis, sive in Vespertinis horis, Chorum intraverit.

V.

V. In psalmodia et reliquis ad officium pertinentibus quin aliquid præscribamus, meminerint Canonici se in Choro nomine totius populi stare ante conspectum Dei, ut illi Sacrificium laudis offerant, et pro populo adprecentur: et nisi æmulantes Cœlites, qui stantes ante thronum Dei cum timore, et tremore faciem velantes suam Dei laudes jugi canore prædicant, sic ipsi omni cum pietate, ac devotione, et non cursim suum munus implere non curabunt, Deum non laudare, sed irridere videbuntur, spes populi frustrabitur, et ipsorum oratio fiet ipsis in peccatum.

VI. Duo Canonici punctatores quotannis per suffragia eligendi coram nobis ad munus suum fideliter exequendum jurejurando se adstringent.

VII. Punctatio sic procedat. In diebus ferialibus quando non omnes conveniunt, absentes non ex causis majoris utilitatis Ecclesiæ, gravis infirmitatis, vel alterius urgentis causæ punctatori pendendæ duplicem subibunt punctationem pro matutino officio, duplicem pro vespertino, et duplicem pro Missa Conventuali; decuplam pro processione quando accidit. Quando autem omnes conveniunt dimidiabitur dicta

cta puntatio. In diebus solemnioribus, celebrante Canonico triplex in primis Vesperis, triplex in Missa, et in matutino quadruplex erit: Celebrante Episcopo decupla erit in Vesperis, ac decupla in Missa. In hebdomada majori ad arbitrium Episcopi.

VIII. In diebus præsertim festis Canonici Confessarii, qui aliquo alio Ecclesiastico servitio non sunt præpediti, tempus horam Officii præcedens in audiendis fidelium confessionibus insumant.

IX. Canonici jubilati, et quisquis alius quia Choro quamcumque ob causam exemptum se credit habitualiter de summa ex aliorum punctationibus resultãte non participent.

X. Horam Officii tabella in Sacristia exposita a nobis adprobata indicabit. Variari tamen poterit, recurrente aliqua circumstantia id exigente. Sed præmoneantur qui adesse tenentur.

XI. Administratio reddituum, quo pacto usquemodo, fiat. Omni autem cura satagant Procuratores ne funda in deterius abeant, de quo suam sciant oneratam conscientiam.

Art. III.

De Seminario.

Inter Episcopalia munia, omnia equidem aleæ plena periculosæ, omni propterea vigilantia obeunda, singularem obtinet locum cura adolescentium qui in Seminario instituuntur, in nostro præsertim ubi in immensum excrevit numerus, ex quibus undique in ipsum adcurrentibus non solum sui Cultores vinea Domini Sabaoth, sed bene moratos Alumnos suos familiæ, et bonos atque utiles cives communes expectant. Ad opus hoc bene dirigendum non parum adlaboravimus, non sine juventutis profectu. Hinc quæ ad finem obtinendum præscripsimus Synodali hac Constitutione ut stabilia maneant volumus confirmata.

1. Alumni de novo admittendi duodecimum ætatis suæ annum non excedant: sed pueri sex annorum ad minimum, et duodecim ad maximum solum recipiantur.

2. Rector, ac duo Coadjutores, ex quibus constat consilium Seminarii regimini præpositum, de admittendorum natalibus, indole, et moribus prius curent fieri certiores.

3. Tenellæ ætatis alumni cum aliis provectionis ætatis nullam habeant communicationem. In Dormitoriis in superiori parte Seminarii tamquam tyronicii loco positi continuo penes se suos habeant Institutores, et ibidem ut in separato Seminario omnes suas faciant functiones.

4. Nemini extraneo in diebus scholasticis liceat Seminaristas adire.

5. Quando id permittitur in diebus ferialibus prout Rectori expedire videbitur, excludantur semper fœminæ, nisi sint prorsus consanguineæ.

6. Nemini ex alumnis liceat domum suam adire nisi prævia nostra licentia, aliqua vera recurrente necessitate.

7. Reliqua pro adoloscentium institutione tam in literis, quam in pietate, quæ in Albo ad id a nobis typis edito pro nostro Seminario etiam pro integro illius regimine sunt disposita, et in Regulis præscripta adamussim observentur.

ART.

Art. IV.

De Parochis.

Gravissimum certe onus, ac formidandum, ut ut præ cæteris gloriosum humeris suis impositum portant Parochi. Speculatores positi domui Israel, Pastores animarum Christi Sanguine redemptarum, si vel una ipsorum negligentia a via salutis deflectens infelix peribit, illius sanguis de ipsorum manu requiretur.

I. Muneris ergo sui partes omni vigilantia, ac solicitudine adimplere curent. A residentia, nisi gravi recurrente necessitate, numquam abscedant, ut semper ovium suarum necessitatibus præsto esse possint, secus fructus suos non faciant absentiæ tempori correspondentes, in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes loci erogandos, juxta Decretum Tridentini (*a*). Recurrente autem necessitate, liceat ipsis quantum satis erit abscedere, prævia semper nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia: Sed prius provideant Gregem suum de aliquo vigili, ac idoneo Sacerdote si Coadjutorem a nobis adprobatum non

(a) *Sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. *in fine.*

non habeant: secus providebimus juxta disposita a Tridentino (*a*).

II. Quando legitime non sunt impediti ipsi per se Sacramenta administrare, et infirmos visitare non omittant.

III. Curent quantum possunt ne puellæ specie pietatis extra propriam Parociam extant: imo ut cujusque conscientiæ provideant libertati, statutis temporibus aliquem extraneum bonæ opinionis Confessarium in suam Ecclesiam adsciscant.

IV. Errores tam quoad sanam Doctrinam, tam quoad mores et perniciosos abusus, si quos irrepere noverint, si per se compescere non poterunt, ad nos referant.

V. Prædicatione Verbi Dei plebanos suos pascere non omittant in diebus saltem solemnioribus, et Dominicis, ut præcipit Trid. Syn. (*b*). Utantur specialiter Cathechismo Romano. Captui, audientium se se accomodent, et ad illos instruendos potius, quam ad declamandum suas dirigant Conciones. Ob oculos habeant quoad hoc ipsorum munus quæ posita sunt in articulis de Doctrina Chri-

stia-

(a) *Cap.* 2. *Sess.* 6. *de Ref.*
(b) *Sess.* 5. *cap.* 2. *de Ref.*

stiana, et prædicatione Verbi Dei. Parte prima hujus Synodi.

VI. Missam in supradictis diebus pro populo celebrent hora populo potius, quam sibimetipsis accomodata, ut facilius ad illam fideles conveniant, et prædicationi Verbi Dei intersint, quæ donec non absolvetur nemini sit licitum in aliis Altaribus ubi extant, præter Majus, celebrare. Il ruralibus porro celebrantes non omittant fidelibus ibi exactis saltem de Doctrina Christiana aliquid exponere sub pœna suspensionis per triduum, ut mandatum est in Decretis generalibus in Sanctis Visitationibus non semel innovatis. Huic oneri sub dicta pœna peculiari ratione Cappellanos Rurales subjectos volumus. Super his invigilent Parochi, et per Vicarios Foraneos ad nos referant: Sub pœna Divinæ indignationis, si quis in triduo, de quo supra, suspensus ad Altare, celebraturus accedere, attentaverit præter irregularitatem.

VII. De Vigiliis in Hebdomada occurrentibus populum in præcedenti Dominica moneant, ne ab ignorantia præsumant excusari a jejunio, qui sub pœna mortalis peccati ad ipsum tenentur. Cibos veti-

titos, horam comestionis in præsenti disciplina circa meridiem ipsis annuncient! Et ne quis sibimetipsi indulgens semetipsum suo judicio decipiat credens ob aliquam causam a jejunio eximi, omnibus indicant ut qui aliqua recurrente causa a jejunio se credunt excusari, ipsos adeant audituri num vere legitima causa excusentur.

VIII. Libros Baptizatorum, Matrimoniorum, et Defunctorum accurate conficiant, juxta formulas Ritualis. In ipsis ætatem, annos, menses, et dies non aritmeticis notis, sed literis extensis inscribant; paginas vero et indices notis signent aritmeticis.

IX. Quotannis renovent librum status animarum, ut facilius oves ipsorum curæ commissas possint cognoscere. Illum conficiant, expleto tempore præcepti Pascalis, quando schedulæ exiguntur, ut qui illi non satisfecerint indubitanter dignoscant.

X. In libro confirmatorum diligenter adnotent nomina Compatrum, et Commatrum, nec non illorum Communem, seu Patriam, ut si occurret facilius impedimentum Cognationis Spiritualis in Ma-

trimoniis contrahendis possit dignosci. Idem servetur in Baptizatis describendis.

XI. Ante Denunciationes pro Matrimoniis contrahendis curent ut Sponsi suam faciant Sacramentalem Confessionem; in ipsa enim non raro impedimenta ignorata deteguntur.

XII. Omnes Parochi spatio unius mensis a die publicationis hujus Synodi exhibeant Nostro Vicario Generali copiam authenticam, et juratam Plateæ bonorum præsertim immobilium ad respectivam Parochiam pertinentium in Curiæ Nostræ Archivio servandam. Ubi non adest statim conficiatur. Ejusmodi bona non describantur confusim, sed distincte unde pervenerint si non ignoratur, instrumenta, situs, extensio, penes quos inveniuntur locata, vel censita, illorum natura, redditus, onera. Copia exhibenda adamussim cum originali concordet.

XIII. Solliciti quoque sint Parochi de suarum Ecclesiarum nitore, et quanta maxima teneri possint magnificentia, quod maxime conducit in Domo Dei ad excitandam in populo venerationem, atque devotionem. Si quæ in ipsis extant non prorsus decentia alieni Dominii Altaria, pos-

post monitos patronos ad Nos referant ut debite provideamus.

In solemnitatibus celebrandis, præsertim in Processionibus nihil permittant quod ad veram pietatem, et Dei cultum non conducit.

XIV. In singulis diebus festis antequam incohetur prima Missa Parochi, vel ipsorum vices gerentes versi ad populum cum ipso recitent actus virtutum Theologalium, tum ut qui illos ignorant facilius addiscant, tum ut omnes in diebus festis ad ejusmodi cultum Deo præstandum assuescant. Idipsum præstent Sacerdotes qui in Ecclesiis ruralibus Missam celebrant dictis diebus.

XV. Non omittant insuper repetere populo, quod monet Apostolus, faciendas nimirum orationes pro omnibus. Peculiari modo ad id teneri intelligant pro iis, qui regimen tenent populorum sive pro spirituali, sive pro temporali: pro his, præsertim pro Romano Pontifice universæ Ecclesiæ Pastore, et pro Rege ad nostram felicitatem Nobis a Deo concesso preces fundantur tam privatim, quam in communi, et in solemnibus Ecclesiæ functionibus Collectæ fiant ut in Missali, nempe pro Papa, et pro Rege.

Art. V.

De Vicariis Foraneis.

Quoniam Episcopus coram per se inspicere non potest quæ in singulis Ecclesiis suæ Diœcesis corrigenda, vel melioranda, aut exequenda occurrunt, ad id supplendum adsciscuntur Vicarii Foranei ad nutum amovibiles, limitatis facultatibus, et præscriptis finibus sui Vicariatus in locis a Sede Episcopali dissitis, ut inibi Episcopalis muneris partes juxta facultates ipsis factas exerceant, occurrentibus, quibus possunt, præsentanee providentes, de reliquis, quæ facultates suas excedunt, certiores Episcopum facientes[1].

Omnes ergo præsertim de Clero respective Vicarios Foraneos a Nobis institutos tamquam nostrum vices gerentes agnoscant, et revereantur, et in omnibus quæ ad mores, et disciplinam rite tuendam spectant, prompte illis obediant.

Vicarii porro Foranei si in aliquo sui muneris parte negligentes erunt, noscant se præter rationem, quam de sua negligentia Deo reddituri erunt, a Nobis ab

Of-

Officio deponendos, ac severissime puniendos.

Inquirere in primis non cessent super vita, et moribus Clericorum, super Parochorum residentia, super libris quos habent Presbyteri sui Vicariatus, an ipsorum causa Divinus Cultus aliquid detrimenti patiatur, an Decreta Synodalia observentur; de quibus omnibus singulis in mensibus ad Nos referant.

Ne Matrimonium inter personas aliquo impedimento irretitas contrahere contigat, impartiales testes, quibus noti sint Sponsi, examinent, prævio juramento de dicenda veritate, et veridicum verbale ad Nostrum Vicarium Generalem transmittant ad finem, ut expressius in secunda parte hujus Synodi §. De Matrimonio dictum est.

Vicarii Foranei præsint Congregationibus Parochorum, et Presbyterorum, quæ semel in qualibet Hebdomada, excepto solo mense Octobri, pro casuum conscientiæ resolutionibus, Sacris ritibus, Parochiarum difficultatibus, et curis animarum habentur. Exacte adnotent deficientes, quos, si absque legitima causa præsidenti patefacta bis defecerint, per tri-

dum a celebratione Missæ suspensos declaratos sive Confessarii sint, sive simplices Sacerdotes.

In Foraniis, in quibus diversis in locis dictæ Congregationes habentur, in quibus singulis idem Vicarius Foraneus interesse non potest, præses erit aliquis de Clero a Nobis approbatus, a quo Vicarius Foraneus de supradictis certior fieri curet, ut postmodum ad Nos referat.

IV. *De Monialibus.*

Quamvis Monialium Monasteria in nostra Diœcesi instituta vere dici possint hortus conclusus, ubi Divinus Agnus pascitur inter lilia, ut tamen illarum virtus gratiorem semper proferat odorem, et regularis disciplina nehilum quidem detur relaxari, ad illam confirmandam sequentes Constitutiones censuimus renovare.

A vita componenda juxta Regulam, quam professæ sunt numquam desistant. Vota, quibus se obstrinxerunt, fideliter reddant, ne Deo impie mentitas fuisse convincantur.

Ob

Ob votum obedientiæ propriam abnegent voluntatem, paratæ semper superiorum voluntati tamquam Deo obedire.

Ob votum paupertatis nihil quasi proprium habeant, etiamsi aliunde quam a Monasterio ipsis adveniant; imo quando id advenerit, penes illam, quæ ad id muneris est addicta, deponatur, et tamquam commune, non quasi proprium habeatur, de quo propterea per se disponere sibi illicitum sciant.

Paupertatem a decentia non ab horrentem ipsarum cellæ, suppellectilia, vestes, omni seclusa vanitate, redoleant.

Sponso suo se prorsus immaculatas corpore, et animo curent servare mortificantes semetipsas tam corde, quam sensibus quoad omnia, quæ Deum non sapiunt; a colloquutoriis quoque recedentes, ne mundanorum colloquiis a conversatione cum Sponso exturbentur.

Januæ Monasterii semper obseratæ teneantur, nec ante illas apertas ulli liceat cum personis sæcularibus etiam consanguineis immorari; quæ si in primo sint, vel secundo consanguinitatis gradu, ad colloquutoria accedant, et hoc etiam ra-

ro, ac extra tempus, quo Choro ex Regulis tenentur Moniales.

Nemo ultra gradus prædictos cum quacumque persona in Monasterio degente in Colloquutoriis immorari sine nostra licentia præsumat.

Si quis circa septa Monasterii cantu, sonitu, vel quovis alio modo quamcumque de Monasterio perturbare attentaverit excommunicatum se sciat.

Quoad regimen Monasterii tertio quoque anno Abbatissa per secreta suffragia ab Episcopo recipienda eligatur. Abbatissa porro alias Officiales designet, quæ expensis Monasterii in munere ipsis commisso exequendo solum suam operam præstabunt.

Pro spiritualibus habeant Confessarium ordinarium a Nobis adprobandum per triennium, et etiam extraordinarium juxta Decreta Concilii Tridentini (a).

Pro temporalibus de redditibus, et necessariis expensis curam habeat Procurator a Monialibus eligendus, et a Nobis adprobandus, qui quotannis sub pœna suspensionis ab Officio, et aliarum quas expedire videbimus, rationem Nobis reddat.

Mo-

(a) *Sess. 25. cap. 10. de Ref.*

Monasterium tot habeat intus servas, quae Communitati inserviant, quot inspecto numero Monialium, necessariae videbuntur.

Servae istae contentae sint operibus manuum suarum: Ipsis propterea inhibemus quodcumque negotium, et mercimoniale commercium: non obstante quod munere suo desint, sed etiam, aut illo dempto, necesse non habeant Colloquutoria frequentare, quod non parum dissipationis, ac dedecoris Monasterio adfert.

Infantulas introducere, et educere ex Monasterio omnino prohibitum esto sub poenis a jure inflictis.

Puellae, quae servatis servandis, in Monasterium educationis gratia recipiuntur, modestum, ac uniformem habitum induant, omni superfluo ornamento secluso: Si cum ad annos a legibus praescriptos pervenerint, voluerint Monialem habitum induere, et tyrocinium ingredi prius exploranda a Nobis, vel nostro Vicario illarum voluntas; et idipsum non omittendum ante professionem.

De Sodalitatibus Laicalibus.

In omnibus pene Diœcesis nostræ Parochiis videntur erectæ sodalitates Laicorum, qui Divino servitio peculiari modo mancipati, et suæ saluti accuratius studere videri volunt. Devotio non improbanda, sed ab humani generis hoste facilius depravanda. Malum hoc ut effugiant,

1. Suas Regulas a Nobis quoad spiritualia adprobatas, et Regio Placito munitas observent, ad hunc finem tantum, ut facilius Divina Mandata adimpleant, et quidquid Christus Dominus Noster unicæ Congregationi fidelium ab Ipso institutæ præcepit.

2. A propriorum Parochorum subjectione se exemptos non credant.

3. Parochiales functiones non perturbent.

4. Cum demane conveniunt in die Confessionibus addicto, id apertis januis fiat, nec umquam liceat januis clausis Missam celebrare, aut alienum excludere etiamsi sodalitati non adscriptum.

5.

5. Solemnitates ex nostra permissione, et non sine interventu Parochi celebrentur; exequiis quoque Parochus intersit.

6. Sacerdos sodalitatis Director a Nobis adprobandus de horum exequutione tenebitur.

A R T. VIII.

De diebus Festis Sanctificandis.

Diem unum in qualibet Hebdomada, hodie ex Sabbato in Dominicam per Apostolos translatum sanctificari præcepit Deus, ut sibi soli, et nostræ salutis negotio vacare possemus. Huic ex potestate a Christo accepta nonnullos alios addidit Ecclesia ad recolenda Christianæ Religionis Misteria, ad B. Virginem Mariam venerandam, et nonnullorum Sanctorum memoriam celebrandam.

Hos dies integre Deo consecrandos (sublata distinctione olim apposita a venerandæ memoriæ Papa Benedicto XIV. inter festos unius, et duplicis præcepti) notum sit omnibus ex Constitutione sub die 10. mensis Aprilis elapsi anni 1818. edita a Beatissimo Papa Nostro Pio VII.

feli-

feliciter Regnante, esse sequentes, diem nimirum Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Domini Nostri Jesu Christi, item diem Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis in Cœlum B. Mariæ Virginis, tandem diem Patriarchæ S. Joseph, S. Joannis Baptistæ, Ss. Apostolorum Petri, et Pauli, S. Antonii Patavini, et Omnium Sanctorum.

In dictis diebus, ut et in Dominicis toti sint fideles ad Deum colendum. Et quia potior cultus, quo honorari potest Deus, est oblatio Filii sui in Sacrificio Missæ, hinc ex præcepto Ecclesiæ sub gravi nemo a devota Missæ auditione in diebus festis se subtrahat, nisi vera, et legitima impotentia impediatur; et super re nemo sibi indulgeat, inconsulto proprio Parocho.

Quantum fieri poterit curent respective Parochiani Missæ Parochiali interesse, tum ut sui Pastoris homiliis præbeant auditum, tum ut uno ore benedicentes Domino, quasi facto impetu, Divinas supra se uberiores pertrahant benedictiones.

Ut tanto bono nemo privetur, et cuique desit occasio non ae cedendi ad Parochia-

lem Ecclesiam in diebus festis, nullus Sacerdos dictis diebus celebret Missam in Cappellis Pagorum extra Parochialem, sed intra ipsorum mœnia erectis. Missas illis addictas volumus, et facultatem facimus ut diebus festis in Parochiali celebrentur; pro quibus Parochi suppellectilia, et alia necessaria gratis præstent.

Excipiantur autem Cappellæ in Agris longe a Pagis positæ, Rurales dictæ, necnon Oratoria privata, in quibus etiam diebus festis licet celebrare juxta præscripta in Articulis de Oratoriis privatis, et de Parochis, quorum primus habetur in prima parte hujus Synodi, et alter in tertia.

Optaremus ut inter reliqua pia Opera, quibus dies festos sanctificare oportet, ad Sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ fideles omnes accederent, iis enim muniti facilius nequissimi tela ipsis datum esset infringere.

Quibus piis operibus, præter supradicta, dies festi sanctificentur, et a quibus operibus servilibus, quæ scilicet ob lucrum a servis fieri solent, sit abstinendum a media nocte præcedente diem festum usque ad mediam noctem sequentem, plebanis suis Parochi non omittant exponere.

Quid-

Quidquid porro a Divino servitio valet distrahere vetitum in diebus festis sciant omnes. Ejusmodi sunt contractus cujuscumque generis, venditiones, emptiones, exceptis pro quotidiana victitatione necessariis.

Abusus præsertim removeatur tenendi apertas Tabernas Vinitorum, tempore, quo ad audiendum Verbum Dei, aut ad alias religiosas functiones populus ad Ecclesiam convocatur.

ART. IX.

De avaritia ab Ecclesiasticis evitanda.

Quilibet Ecclesiæ servitio addictus omni diligentia curet ne avaritiæ labe, quæ est idolorum servitus, fœdatur.

Hinc in functionibus Ecclesiasticis non turpe lucrum, sed Dei gloriam, et populi utilitatem ante oculos solummodo habeat.

Parochi occasione Matrimoniorum contrahendorum, vel status liberi expediendi non exigant nisi septem Carolenos, ut Regni leges præscribunt.

Sportulæ Officialibus nostræ Curiæ exhiben-

bendæ non excedant tariffam a Nobis datam ex quo hanc Nolanam Ecclesiam gubernandam ingressi sumus, quæ consona est tam taxæ Innocentianæ, quam legibus Regni.

Coactæ Præstationes quæ in obsequium Sedis Episcopalis fieri solebant in Natali, et Pascate Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, sicut a principio hujus nostri Præsulatus abolitas declaravimus, ita in præsentiarum confirmamus quoad hanc Nolanam Ecclesiam Princeps Pastorum Jesus Christus Dominus Noster nobis dabit gubernare.

Quoad alia vero ab Ecclesiis, et Clero nostro præstanda adamussim servetur Decretum a Serenissimo Nostro Rege editum sub die 3tii proximi elapsi Januarii currentis anni millesimi octincentesimi decimi noni 1819.

Hæc satis.

Istæ, venerabiles Fratres, Divino Spiritu adstante, collatis Consiliis, visa sunt decernenda ad Divinum Cultum magis, ac magis semper augendum, ad nostrum Ministerium perfectius implendum, et ani-

ma-

marum salutem procurandam. Ista meditamini. Ab his ne recedatis. In his instate. Sic populos, quorum curam tenetis, Deo acceptabiles reddere curabitis, ac Vos ipsos salvos facietis, et illos, qui Vos audient. Fiat fiat.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, Charitas Dei, et Communicatio Sancti Spiritus semper sit cum omnibus vobis Amen.

VINCENTIUS EPISCOPUS NOLANUS.

DECRETUM

Pro suprascriptarum Constitutionum observantia, et executione.

SYnodales has nostras Constitutiones ut supra exaratas, et hodierna die promulgatas adamussim observari mandamus, easque post duos menses ab hac publicatione unumquemque obligare volumus, ac intendimus sub pœnis in iisdem contentis, perinde ac si personaliter fuissent intimatæ. Et ut singuli de Clero dictarum Constitutionum notitiam habeant, suam-

suamque quisque sciat obligationem, et quæ sui sunt muneris exacte adimpleat, omnibus, et singulis ejusdem nostri Cleri præcipimus ut postquam obtenta venia a Serenissimo Rege Nostro (quem Deus sospitet) Codex harum Synodalium Constitutionum typis fuerit mandatus, unusquisque de eo se provideat, illumque repetito perlegat. Hortamur attamen omnes, ut virtutis amore potius, quam pœnarum formidine dictas Constitutiones exequi nitatur, ac observare.

Si quid vero forsan exciderit quod Sanctissimus Noster Pater Pius Papa VII. corrigendum putaverit ei non obsistimus.

Datum Nolæ ex Episcopali Palatio die 31. mensis Maji 1819.

VINCENTIUS EPISCOPUS NOLANUS.

Indicta post hæc dimissione Synodi, peracta sunt reliqua, quæ Pontificale præscribit, et absoluta fuit Synodus cum gratiarum actione per Hymnum

Te Deum laudamus.

AT-

ATTESTATIO

DE SYNODO NOLÆ CELEBRATA

PER

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINUM

D. VINCENTIUM MARIA TORRUSIO

EPISCOPUM NOLANUM.

Singulis, et cunctis sequentia legentibus notum facio, ac testor Ego Synodi Magister actorum, qualiter omnia ita ut superius scripta, acta peractaque fuerunt; nimirum die octava mensis Maji anni millesimi octincentesimi decimi noni 1819. indicta fuit Synodus Diœcesana a supradicto Episcopo Nolano celebranda die trigesima prima ejusdem mensis in Cathedrali Ecclesia, et Edictum affixum fuit in valvis tam Cathedralis Ecclesiæ, quam

re-

reliquarum Ecclesiarum totius Nolanæ Diœcesis, in quibus de jure; et ab ipsis fuit defixum adveniente supradicta die trigesima prima dicti mensis Maji; in qua congregatis omnibus, ad Synodum vocatis, præmissis iis quæ Pontificale præscribit, lectæ sunt e suggestu per Reverendissimum Abbatem Archidiaconum D. Cajetanum de Nicola, cunctis audientibus, superius exaratæ Constitutiones. Lectis Examinatoribus Synodalibus designatis, interrogata Synodo an placerent? Responderunt omnes unanimiter: *Placent*. Electi jurejurando se adstrinxerunt ad suum munus fideliter exequendum. Expleta postmodum reliquarum Synodalium Constitutionum lectione, et Decreto Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Episcopi pro earumdem observantia, et executione, Secretarius Synodi Decretum protulit de Synodi dimissione. Tum nominatim vocati qui ad Synodum convenire tenebantur; et præstita obedientia Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino, eo benedicente, dimissa fuit Synodus cum gratiarum actione, per Hymnum *Te Deum laudamus*, et alias preces, atque ad illud in Pontificali præscriptas cæremonias.

De

De quibus omnibus, et eorum singulis ita peractis, instante Synodi Promotore Reverendissimo Abbate D. Cajetano de Nicola Cathedralis Ecclesiæ Archidiacono, præsentem Ego Synodi actorum Magister confeci attestationem, præsentibus Testibus Adm. Rev. D. Hieremia Gragnani Primicerio Collegiatæ Ecclesiæ communis Abellarum, D. Joanne Venezia Primicerio Collegiatæ Ecclesiæ communis Lauri, D. Antonio Mascia Primicerio Parochialis Ecclesiæ communis Brusciani, et D. Josepho Ravelli Archipræsbytero Parochialis Ecclesiæ communis Castri Cicciani, qui cunctis supradictis fuerunt præsentes. Et in fidem Ego subscriptus Synodi Magister actorum de prædictis requisitus præsentem actum confeci, scripsi, propria manu subscripsi, et sigillo Curiæ Episcopalis munivi.

Abbas Carmelus Mele Cathedralis Ecclesiæ Nolanæ Canonicus.

INDEX.

VA1 1530113